

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## IV.

*De Manicheo absurdo Creationis Satana.*

**A**ctualia peccata ab Originali, tanquam à sua primaria causa aut matre, oriri, omnes Theologi testantur, & etiam ipsemet Paulus, Rom. 6. & 7. Peccatum genuit in me omnem cupiditatem. Ne regnet peccatum in mortali corpore vestro. Peccatum, quod in me habitat, operatur omne malum.

II. Eadem actualia peccata, ut sunt idolatriæ, hæreses, odium & pugna contra Deum, & inimicitia contra proximum, testantur illam suam causam seu scaturiginem, aut (ut ita dicam) matrem esse quandam naturam, vivam præpotentem, intelligentem & eligentem, totique mundo imperantem, eoque revera rationalem. Effectus tam astute effecti necessarîo demonstrant ipsius matris perversam sapientiam ingeniumque.

III. Talis verò natura præpotens, intelligens, eligens & rationalis, quid aliud tandem esse potest, quam anima quædam, aut spiritus? Certè merum accidens aut etiam solus defectus seu privatio non potest esse natura intelligens & eligens.

IV. Est verò ista natura aut creatura aut anima, seu anima, seu quoquomodo vocetur, (teste adversa parte) quiddam planè diversum ab essentia huius à Deo creatæ animæ, & nullo modo nullaque ex parte à Deo conditum: sed tantum prorsus ac solum à Diabolo ipso effectum.

V. Igitur Diabolus author & effector istius tam præpotentis & rationalis naturæ, regnantis supra omnes homines, dominantisque toti mundo, aut certè generi humano, est revera quidam creator.

VI. Quo enim tandem nomine voces authorem & effectorem tam præpotentis naturæ, quæ potest etiam dici primum movens in homine ad omne malum?

VII. Verum hoc consequens falsissimum, quod Satan ullam naturam, nedum tam præstantem, creaverit: Igitur & illud antecedens est falsum, quod ista natura tam præpotens sit quiddam planè diversum ab essentia animæ divinitus creatæ, quamquam nullo modo nullave ex parte ea sit à Deo.

VIII. Est igitur ista mater omnium actualium peccatorum, seu ista tam præpotens natura, aut primus motor proprie ipsamet anima rationalis, præsertim in suo summo gradu & quatenus Deum respicit, vel ipsummet liberum arbitrium, aut potius jam servum arbitrium.

IX. Hæc verò ipsa natura aut perversa anima rationalis, seu servum arbitrium, aut injustitia originalis est jam tum à Deo, tum à Satana. A Deo quidem, quatenus est primum integra creata, & quatenus nunc quoque suo modo hæc tota species hominis propagatur ac sustentatur: A Satana verò, quate-



nus mox initio est inverfa & transfigurata ex optima forma imaginis Dei in pessimam, quæ est jam imago Satanae: & præterea, quatenus etiam regitur & agitur à suo isto hero aut Tyranno, Satana, & sub cuius potestatem tanquam vendita est, ejusque habitatio effecta, donec per filium Dei inde potenter redimatur.

X. Solus Deus verè condit ac creat naturas omnes: sed corrumpere & pervertere eas ex optimis in pessimas potest, non solum Satan, sed etiã homo: adeo ut fermè nihil facilius sit, quam bonas Dei creaturas in pessimas seu pessimam formam transformare & quasi transfigurare.

XI. Talem transfigurationem dico à Satana in anima rationali, non tamen omnino sine sententia maledictionis, ac penè mortis ab irato Deo inflictæ, effectam: & hac ratione istam corruptam esse à Satana.

## V.

S Clariss. D. Doctor. Si forte per occupationes à prandio licebit, ad te vèniam, collaturus tecum amanter & fraternè de rebus ad negotium institutum maximè pertinentibus, & quemadmodum nudius tertius animadverti, vobis in Superiori Germaniã non ita probe perspectis, quas scire plurimum interessè videtur, quo facilius & verius de his judicare & pronunciare liceat, præcipue cum nemo videri velit unquam ullam aquam perturbasse, & à regiã via declinasse, cum Thaide Ro. rem habuisse, Bestiam & imaginem ejus adorasse, characteremque ejus in frontibus recepisse, sicut Apocalypf. loquitur. Certè non omnes ita mundi sumus, quemadmodum videri volumus. Qui lapsi sunt, agnoscant, fateantur & damnent errores, quos sparserint, non probent ac defendant, aut extenuent, quasi non ita magni momenti sint, propter quos aliquid in Ecclesia movendum sit, & conjunctio Doctorum in Ecclesiis nostris dissuenda. Sed de his & aliis coràm & plura. Si per oçium licere poterit, rogo me certiore facias, ut mecum adferam ea, de quibus proxime dictum est, si quidem ita tibi videbitur, & inter nos modeste ac pie conferre liceat absq; ulla profopolepsia. Bene vale ex hospitio nostro.

T.

Basilii Monner, D.

## VI.

S In Christo. Optarim quidem, ut liceret nobis nostra vicinia frui, & sæpè coràm colloqui, sed quia sua cuique sunt negotia, contenti simus animorù confociatione, & agamus Deo gratias, quod & vestra & nostra ecclesia in Christo  
P sunt